

Coroll. 2^m Talis impressio intrinseca in facultate, i. e. talis affectio intrinseca potentiae, ab objecto producta et illud proinde repraesentans, est *species impressa*, objecti vicaria.

Coroll. 3^m Ergo species impressa est forma potentiae inhaerens.

Propositio 28.

Inter speciem impressam et objectum non requiritur convenientia in essendo sed sufficit convenientia in repraesentando.

Notiones. 1) Potest aliquid esse similitudo alterius :

in essendo — — i. e. ita ut participet ejus essentiam, habeat eandem notam essentialem.

in repraesentando, i. e. ut non ejus essentiam participans, illud tamen aliquo modo praesens sistat, seu in ejus cognitionem nos ducat.

similitudine reali, i. e. ut sit quasi imago seu idolum rei, ita ut prius cognitum ducat in cognitionem alterius, v. c. statua, pictura.

similitudine intentionali, i. e. quae non per modum imaginis rem referat, sed tantum aliquomodo sufficiat ad intentionem seu cognitionem ejus.

formali, i. e. qua actu et formaliter constituatur cognoscens ut cognoscens.

virtuali, i. e. qua constituatur principium similitudinis intentionalis formalis.

2) De his notionibus nihil nunc praesupponitur, sed in ista et sequentibus propositionibus singulae applicantur.

Stat. quaest. Ex praecedentibus notum est, speciem impressam esse accidens physicum intrinsecum potentiae, eam conjungens cum objecto, i. e. illi sistens objectum aliquo modo praesens. Quaeritur igitur utrum talis repraesentatio qualiscumque sufficiat ad munus speciei, an vero requiratur major aliqua convenientia, etiam in essendo.

Prob. 1^a pars (non in essendo). 1^o Quidquid recipitur in altero intrinsecus, existit ad modum recipientis; *a.* modus seu natura potentiae vitalis est superior materia bruta externa; *e.* et species recepta in facultate vitali, existit non ad modum objecti materialis extrinseci, sed ad modum potentiae vitalis.

Ad maj. Actus (accidens hic) debet respondere potentiae (perficit enim subjectum explendo ejus potentiam); *a.* quod recipitur in altero (non extrinsecus tantum sicut aqua in vase), est actus explens potentiam passivam, receptivam, alterius; *e.*

Prob. 2^o Memoria retinet speciem objectorum, per quam objecta prius cognita iterum cognoscit; *a.* non retinet v. g. motum communicatum ab objecto; *e.*

Ad maj. Memoria retinet aliquid quod saltem ita potentiae cognitivae

indifferentiam tollit ut proxime potens sit ad objectum determinatum cognoscendum; *a.* in hoc consistit species impressa; *e.*

Prob. min. a) Nullum vestigium jam adest istius motus; b) secus duraret semper motus et ejus actualis cognitio.

Prob. 2^a pars (sed sufficit). Species requiritur ut nos cum objecto ita jungat, ut illud exprimere possimus repraesentando; *a.* ad hoc ejus munus nihil aliud requiritur quam ut species sit aliquo repraesentativo modo similis objecto; *e.*

Propositio 29.

Species impressa non est id in quo prius cognito, sed id quo objectum cognoscitur.

Notiones. 1) *Id in quo* objectum cognoscitur, est res quae prius ipsa cognoscitur, et per hanc sui cognitionem, in cognitionem objecti ducit; sic signum quodcumque proprie dictum est *id in quo*, prius cognito, cognoscitur significatum, vocaturque signum *objectivum*.

2) *Id quo* objectum cognoscitur, est res quae ipsa quidem non prius cognoscitur, sed necessaria tanquam principium concurrens ad cognitionem objecti, sive ut principium extrinsecum (causa efficiens) sive intrinsecum (causa formalis), vocaturque ab aliquibus signum *formale*.

Stat. quaest. Post Cartesium, recentiores multi dicunt nostram cognitionem (sensitivam praecipue) immediate terminari ad ipsam speciem impressam, seu ad aliquam objecti similitudinem quae in nobis existat; et mediante illa, ad objectum ipsum.

Prob. 1^o Teste experientia: a) id quod in cognitione nostra, immediate nobis objicitur, sunt corpora ipsa extra nos existentia et a nobis distincta; — b) praeter ipsa objecta corpora, nihil nobis subjectivum percipimus (nisi nova cognitione reflexa), adeo ut vel ipsa existentia speciei nobis impressae sit plerisque ignota, nec nisi philosophicis argumentis ostendi possit; — *a.* sic non nisi gratuito contra experientiam affirmaretur aliqua subjectiva similitudo ut medium in quo; *e.*

Prob. 2^o Si immediate percipimus, non corpora externa, sed nostram subjectivam speciem impressam. jam nullum manet medium agnoscendi speciei conformitatem cum objecto; *a.* ita patet via ad scepticismum; *e.*

Prob. maj. Media sic objectivandi nostram speciem excogitari possent: 1) experientia sensationum anteriorum, seu consuetudo, — 2) associatio sensationum plurium per varia organa de eadem re, — 3) applicatio principii causalitatis, — 4) per solum tactum attingi immediate objectum, per alios sensus solam imaginem subjectivam, ac per comparisonem ad tactilem sensationem ejusdem objecti, alias sensationes objectivari; — *a.* horum nullum valet; *e.*

ad min. 1 part. (experientia anterior). Quaestio est, vel saltem eadem redit, de prima perceptionis objectivatione, qua primam imaginem ut objecto conformem agnovimus; *e.* fit petitio principii.

ad 2 part. (associatio sensationum). Omnes imagines quae ita associantur sunt totidem formae subjectivae; *a.* sicut de singulis, ita et de toto complexu redit quaestio objectivandi formas subjectivas; *e.* difficultas augetur nedum solvatur!

ad 3 part. (principium causalitatis). Experimur quidem nos in specie accipienda esse passivos et scimus hujus impressionis requiri causam aliquam; sed nescimus quanam sit haec causa: una, an multiplex, univoca an aequivoca, corpora extra nos, an aliud quid nobis ignotum.

ad 4 part. (solo tactu). Corpora ipsa non minus extra ipsum sensum tactus sunt quam extra alios sensus; nec minus requiritur in tactu species impressa objecti vicaria, quam in aliis sensibus (solum discrimen est quod, in tactus organo, objectum imprimit speciem per propriam immediatam actionem, in aliorum sensuum organis, per actionem medii...); *a.* si in tactu species non sentitur, sed objectum, nulla manet ratio disparitatis cur in aliis sensibus species sentiatur, non objectum; *e.*

Prob. 3° Si solae species immediate cognoscerentur, cognitio nostra vera esset, etiamsi corpora externa non essent, vel alia essent ac nobis apparent, dummodo species subjectiva eadem foret; *a.* sic via panditur idealismo; *e.*

Coroll. Ergo species impressa non est similitudo realis objecti (quae est semper aliquid *in quo* objectum cognoscitur), sed debet esse tantum similitudo intentionalis objecti.

Objic. 1° Teste experientia, non valemus per solos alios sensus, ante usum tactus, aestimare distantiam, situm, magnitudinem objectorum; sed hae sensationes paulatim experientia et consuetudine comparationis cum sensatione tactus objectivantur; *e.* — *R. d. ant.* quia haec omnia non sunt sensibilia propria aliorum sensuum, sed sensibilia communia, *c;* secus, *n.* — *d. cons.* sensibilia propria non immediate percipiuntur, sed mediante specie, *n;* de sensibilibus communibus, *sd.* percipimus immediate nostras subjectivas formas, *n;* percipimus insufficienter, initio saltem, ipsa objecta, ita ut debeant plures sensus concurrere ad rectificanda nostra judicia, *c.*

Objic. 2° Objectum cognoscitur ut in facultate existens; *a.* hoc idem est ac illud cognosci in specie; *e.* — *Prob. maj.* Objectum debet esse potentiae et actui conjunctum; conjungitur autem solum qua terminus; *a.* solum ut in potentia existens est terminus cognitionis; *e.* — *R. d. maj.* i. e. quia in mente existit (repraesentatum per speciem), *c;* i. e. in objectum ut in terminum internum fertur cognitio, *n.* — *c. d. min.* — *Ad prob. d. maj. 1 part.* aut per se, aut per speciem impressam, *c;* secus, *n.* — *d. 2 part.* qua terminus externus cognoscendus, *c;* qua terminus internus cognoscendus, *n.* — *d. min.* terminus objectivus cognoscendus, *n;* secus, *tr.*

Propositio 30.

Species impressa non esse debet similitudo objecti intentionalis formalis sed virtualis tantum.

Stat. quaest. Quaeritur quae similitudo speciei impressae cum objecto necessaria sit ut illud sufficienter facultati repraesentet. — Agitur de specie impressa essentialiter seu formaliter sumpta, non de materiali impressione objecti in organo, quae v. g. in oculo est imago realis.

Prob. 1^a pars (non intentionalis formalis). Talis repraesentatio facit potentiam formaliter (i. e. actu) cognoscentem seu vitaliter operantem; *a.* species impressa est passio sensus, non actio vitalis ejus; *e.*

Prob. 2^a pars (sed virtualis). Munus speciei impressae est, ut potentiam quae de se est indeterminata, faciat determinatam ad hoc aliquod objectum cognoscendum, quocum illam aliquomodo conjungit; *a.* ad hoc munus sufficit similitudo intentionalis virtualis tantum; *e.*

Ad min. Ad hoc munus sufficit ut species vel possit effective producere similitudinem formalem, vel saltem eam quasi inchoative licet imperfecte contineat, ita ut per id jam facultas in actum vitalem cognoscendi se possit evolvere; *a.* haec est similitudo intentionalis virtualis; *e.*

Objic. 1° Nullae sunt imagines odorum, saporum, sonorum, etc. — *R. d.* imagines visibiles per figuras et colores, *c;* nullae sunt similitudines, *n.*

Objic. 2° In sensu hae imagines efficiuntur per organorum motum; *a.* inter hos motus et objecta nulla est similitudo; *e.* — *R. tr. maj.* — *d. min.* nulla realis, *tr;* nulla repraesentationis intentionalis, *sd.* formalis, *c;* virtualis, *n.*

Objic. 3° Objectum visionis imprimit in sensum similitudinem sui formalem, testibus experimentis scientificis; *e.* — *R. d. ant.* formalem intentionalem, *n;* formalem, i. e. realem, *sd.* impressionem materialem in organum materiale, *c;* in sensum ut vitalem, *n.*

Objic. 4° Quae differunt natura, similia non sunt; *a.* species et objectum differunt natura; *e.* — *R. d. maj.* similia non sunt in essendo, *c;* in repraesentando, *n.*

Propositio 31.

Cognitio producitur tum a potentia tum a specie impressa. sic ut tota procedat ab utraque tanquam a principiis sibi subordinatis.

Stat. quaest. 1) Non quaeritur utrum sensatio a potentia procedat, quod patet! — Sed utrum species impressa *effective* concurrat; nam ejus necessitas posset explicari:

- a) ut sit *conditio tantum*, quae nihil agat;
- b) ut sit *causa materialis* ex qua fiat sensatio;
- c) ut *disponat ac determinet* potentiam quae postea sola agat;

d) ut sit *causa efficiens* simul cum potentia, et haec aut coordinata, aut subordinata. — Nos hoc ultimum affirmamus.

2) Principia subordinata generatim ea sunt quae non sunt ejusdem generis, et unum sine altero nihil potest; coordinata possunt pro se quodque partem producere.

Prob. 1^a pars (*ab utroque*). 1° Illud concurrit *effective*, sine quo potentia est in *ratione agentis* incompleta; *a.* sine specie impressa, potentia est, ut agens, incompleta; *e.*

Ad maj. Effectus procedit a *totali* principio agente quatenus est agens.

Prob. min. Potentia *de se* est insufficientis ad actum *determinatum*, sed determinatur a specie impressa; *a.* quod dat formam agenti, a qua procedit et determinatur actus, complet potentiam in *ratione agentis*; *e.*

Prob. 2° Forma in qua fundatur similitudo inter potentiam et objectum, est ex aliqua causa efficiente; *a.* non potest esse ex sola potentia; *e.*

Prob. min. Sola potentia nec formaliter nec virtualiter habet determinatam similitudinem; *a.* nulla alia datur causa efficiens praeter speciem impressam; *e.*

Prob. 2^a pars (*subordinatis*). Haec duo principia erunt subordinata, si 1) quidquid est in cognitione procedit ab utroque, et 2) alterum sine altero efficere nihil potest; *a.* ita res se habet; *e.*

Prob. min. 1 part. (*ab utroque*). Totus actus est essentialiter vitalis, et totus essentialiter repraesentativus objecti determinati; *a.* habet alterum a potentia et alterum a specie; *e.*

Prob. min. 2 part. (*nihil potest*). *a)* Potentia non potest sine specie: cfr. sup. prop. 26. — *b)* Species sine potentia non potest, nam secus daretur cognitio sine actu potentiae, et haec cognitio esset semper in actu.

Schol. A nonnullis sex munera speciei numerantur: 1) adhaerere potentiae cognitivae, — 2) illam informare, — 3) unire objectum potentiae, — 4) repraesentare objectum, — 5) determinare potentiam ad actum, — 6) efficere actum cognoscendi. — Sed haec paulo longius quaesita et subtilior videtur divisio.

Objic. 1° Actus vitalis debet a principio vitali procedere; *a.* species impressa non est principium vitale; *e.* — *R. d. maj.* saltem inadaequate, *c;* semper adaequate, *n.* — *d. min.* non est ipsum principium, *c;* non est ejus qualitas, *n.*

Inst. Ergo actus cognitionis esset solum partim vitalis. — *R. n.* (sunt principia subordinata; — et ipsa species non est mortua, sed aliquid vitale).

Objic. 2° Actus voluntatis non est a specie; *a.* a pari. — *R. n. par.* (voluntas, praesente objecto est completa in *ratione agentis*; et non agit per modum imaginis).

Objic. 3° Sensationes plures experiri possumus dum tamen nullo objecto externo sensus excitantur, v. c. compressione bulborum oculi; *a.* tunc nulla est species impressa; *e.* — *R. tr. maj.* — *d. min.* nulla species ab objecto

correspondente, naturaliter producta, *c;* nulla ab alia causa accidentaliter vel artificiose producta, *n.*

Objic. 4° Operatio vitalis nequit simul esse a principio intrinseco et ab extrinseco; *a.* potentia est intrinseca, et objectum ejusque species sunt extrinseca; *e.* — *R. c. maj.* — *ad min:* potentia... *c,* objectum... *c,* species *d.* per suum esse intentionale, *c;* per suum esse physicum, *n.*

Coroll. 1^m Ergo potentia et species impressa sunt sensationis causae instrumentales, non principales, nam causa principalis est quae agit per virtutem propriam, instrumentalis, quae agit ut virtus alterius; *a.* potentia est virtus substantiae animalis; species agit quasi virtus objecti; *e.*

Coroll. 2° Ergo sensatio non est ab organismo solo qua tali, nam iste et in cadavere invenitur; et, etiam qua vivens, est tamen de se indeterminatus ad hunc aliquem actum.

Coroll. 3° Ergo sensatio non tamen haberi potest sine aliquo concursu organismi; nam is requiritur ad accipiendam ab objecto impressionem speciei.

Propositio 32.

In omni cognitione producitur, tanquam terminus, species expressa, seu similitudo objecti intentionalis formalis.

Stat. quaest. 1) Agitur de *termino intrinseco* actionis cognitivae. — (cfr. ontolog.).

2) Quatuor sententiae: *a)* nullum terminum produci, — *b)* non produci in sensibus externis, neque in intellectu intuitive cognoscente (quia tunc objectum praesens), — *c)* non produci actione, sed emanare a potentia, quia assimilatio est qualitas, non actio; — *d)* produci vera actione.

3) Ex his sententiis nullam nunc explicite refutare est operae pretium, quia implicite sufficienter sunt in ontologia refutatae, ubi de natura actionis, causalitatis efficientis, et termini actionis agebatur. Satis ergo nunc est, quartam sententiam exponere potius quam defendere.

Prob. Omnis actio producit terminum; *a.* cognoscens agit ita ut assimiletur formaliter intentionaliter objecto; *e.* producitur ejus actione tanquam terminus aliqua assimilatio intentionalis formalis cum objecto (quae dicitur species expressa).

Ad maj. Actio, ut actio, est productio, effectio, causalitas causae aliquid efficientis; *a.* si hoc, per eam producitur aliquis terminus, aliquid novum; *e.*

Prob. min. In cognitione in facto esse, cognoscens sibi formaliter praesentem seu repraesentatam habet rem cognitam; *a.* non illam materialiter et concrete praesentem, nec in similitudine reali; *e.* in intentionali, et quidem formali, non virtuali tantum sicut in specie impressa ante actum cognoscendi erat.

Ad cons. Haec praesentia formalis intentionalis nondum habetur in specie impressa, quae sola ab objecto efficitur; *e.* debet per ipsius cognoscentis

actionem immanentem produci, nam alia nulla causa efficiens hic excogitari potest.

Coroll. 1^m Ergo species expressa recte dicitur constituens cognitionem in facto esse; et species impressa movere vel determinare ad cognitionem.

Coroll. 2^m Ergo, si Deus ipse potentiam afficeret specie impressa, locum habere posset cognitio, licet absente vel non existente objecto.

Objic. 1^o Si ex natura intellectionis efformaretur verbum (i. e. terminus), posset ratione demonstrari mysterium SS. Trinitatis! — R. *n.* (ex natura intellectionis creatae, quae est aliquid accidentale, non potest concludi ad naturam intellectionis divinae, quae est ipsa divina substantia; dein, concluderetur ad summum aliquid produci, non vero hanc esse distinctam personam).

Objic. 2^o Sequeretur etiam in sensibus externis haberi verbum: *a.* hoc est falsum; *e.* — R. *d. maj.* aliquid simile verbo seu speciem expressam, *c;* verbum intellectuale, *n.* — *e. d. min.*

Objic. 3^o Saltem in visione beatifica non producitur species expressa. — R. *n.* — **Prob. 1)** Haec similitudo repraesentaret Deum quatenus est in se; *a.* hoc nulla similitudo potest; *e.* — **2)** Species requiritur ut objectum menti sistatur; *a.* Deus est per se in mente intuen- te; *e.* — R. ad 1) *c. maj.* — *d. min.* similitudo physica, *c;* intentionalis, *sd.* in ordine naturali, *c;* supernaturali, *n.* — ad 2) *d. maj.* species impressa, *c;* expressa, *n.* — *d. min.* ita ut suppleri non debeat specie impressa, *c;* ut ipse suppleat expressam, *n.* (i. e. ipsum mentis actum!)

Objic. 4^o Saltem in cognitione intellectuali non requiritur species expressa. — R. *n.* — **Prob.** Non requiritur nisi similitudo objecti, et actus vitalis; *a.* similitudo est in specie impressa, et actus vitalis in potentia; *e.* — R. 1) *n. maj.* (requiritur etiam tendentia intentionalis formalis). — R. 2) *d. maj.* qui actus vitalis est species expressa, *c;* secus, *n.*

Objic. 5^o Species debent produci in instanti; *a.* sensatio v. c. frigoris vehementis, non statim, sed paulatim, per successionem fit; *e.* — R. *d. maj.* si earum productio non est adjuncta successivae mutationi, seu impressioni materiali, *c;* si est, *n.* — *par. d. min.*

Propositio 33.

Species expressa non est id in quo prius cognito, sed id quo objectum cognoscitur.

Stat. quaest. 1) Quaeritur de cognitione directa, non de reflexa.

2) Non quaeritur utrum species expressa sit nobis prior quam objectum; — nec utrum possit per reflexionem cognosci; — sed utrum necessario prius cognoscatur quam objectum. — Quod negamus.

Prob. 1^o *Id quo cognoscitur*, est id quod ut principium concurrat ad assimilationem; — et *id quod prius cognoscitur*, est id ad quod fit assimilatio immediate; — *a.* assimilatio fit per speciem expressam ut per principium formale, et fit immediate, non ad speciem, sed ad rem; *e.*

Prob. min. 1 part. Omnis assimilatio fit per formam similem rei; *a.* haec forma est species expressa; *e.*

2 part. Assimilatio fit formaliter per speciem expressam; *a.* assimilatio supponit *aliud* ad quod assimiletur; *e.*

Prob. 2^o Cognitio primo et directe tendit in illud quod immediate et directe repraesentatur a potentia; *a.* non species expressa, sed objectum immediate et directe repraesentatur; *e.*

Ad min. Secus essent duae imagines: altera rei, et altera imago imaginis!

Prob. 3^o In sententia adversariorum, omnis cognitio esset essentialiter reflexa; *a.* non ita est; *e.*

Prob. maj. Species expressa constituit potentiam formaliter cognoscentem; et secundum adversarios, ipsa directe cognoscitur; *a.* cognitio quae tendit in cognoscentem prout est formaliter cognoscens, est reflexa; *e.*

Ad min. Cognitio reflexa est cognitio cognitionis; *a.* hoc non potest in infinitum ire; *e.*

Coroll. 1^m Species expressa non est cognitio objectiva, i. e. objectum cognitum, sed subjectiva, i. e. actus ipse cognoscendi, prout cognoscenti subjecto inhaeret.

Coroll. 2^m Species expressa continet duplicem relationem: a) ut effectus ad causam (ad cognoscentem et speciem impressam); b) ut signi ad significatum (objectum).

Coroll. 3^m Per speciem expressam, sumus actu cognoscentes; quae praecedunt se habent ad eam ut via ad terminum.

Coroll. 4^m Species expressa recte dicitur *qualitas*; nam qualitas est accidens absolutum physicum substantiae, ad complementum ejus tum in essendo, tum in agendo; *a.* secundum speciem expressam dicimur cognoscentes, et quales; et species expressa ordinatur ad operandum, et per eam completur cognoscens in perfectione.

Coroll. 5^m Ab actu cognoscendi seu a cognitione non realiter distinguitur species expressa, sed ratione, quia species est *qualitas*, cognitio est *actio* (Cfr. Kleutgen n^o 29). — Porro species expressa intellectualis vocatur *verbum mentis*, sensibilis autem *idolum*.

Coroll. 6^m Ergo discrimen inter cognoscentia et non cognoscentia potest dici: quod priora, praeter suam formam propriam (physicam), possunt assumere formam aliorum (intentionalem); posteriora non habent nisi suam formam.

Schol. 1^m Quaeritur quo modo possint utraque species impressa et expressa, imo et ipsa potentia dici *id quo* fiat cognitio? — R. *Id quo* fit cognitio (cfr. prop. 30) est res quae ipsa quidem non prius cognoscitur, sed necessaria est, et tanquam principium concurrat ad constituendam cognitionem objecti; — *a.* 1) Subjectum, et potentia, et species impressa, et species expressa non cognoscuntur prius directe;

2) Haec omnia sunt necessaria ad actum;

3) *Subjectum* non concurrat quasi secundo influens, sed ipsum principia-
liter agit; *e.* est *id quod* cognoscit;

Potentia concurrat constituendo *subjectum* in actu primo remoto; *e.* est
principium extrinsecum actionis effectivum; *e.* est *id quo* agens cognoscit;

Species impressa concurrat determinando potentiam de se indeterminatam,
et proinde constituendo *subjectum* in actu primo proximo; *e.* est principium
extrinsecum actionis effectivum; *e.* est *id quo* agens cognoscit;

Species expressa concurrat constituendo *subjectum* in actu secundo; *e.* est
principium intrinsecum actionis formale; *e.* est *id quo* cognoscens cognoscit.

Schol. 2^m Quaeritur quo sensu dicatur sensatio esse aliquid passivum? —
R. In sensatione: 1) si magis inspicitur ipsa materialis immutatio organi, est
mere passiva et mere materialis, nec producit cognitionem;

2) Si inspicitur *species impressa* qua immutatur non organum materiale
solum, sed et principium vitale in organo, est *mere passiva sed vitalis* ratione
subjecti, et provocans attentionem et reactionem;

3) Si inspicitur *species expressa*: est *activa et vitalis*, seu immanens, seu
est reactio subjecti non in speciem impressam, sed secundum speciem
impressam, in objectum repraesentandum;

4) Si opponitur cognitio sensitiva intellectuali, in qua (cfr. psychol.) nihil
potest objectum in potentiam agere, vel speciem imprimere, sed debet ipsa
potentia speciem sibi imprimere, dicitur sensatio esse *passiva*, nempe partim;
intellectio *activa*, nempe totaliter.

Schol. 3^m Quaeritur utrum differant sensatio et perceptio sensilis. —
R. 1) a S. Thoma neuter terminus solet adhiberi; — 2) San-Severino distin-
guit sensationem tanquam passionem, a perceptione tanquam activa cognitione
sensili; — 3) Liberatore promiscue utitur termino sentiendi et percipiendi;
— 4) et hic ultimus modus loquendi videtur praefereendus, nam id quod sensus
passive recipit, aut intelligitur impressio mere materialis organi, aut ipsa
species impressa; *a.* prior, ut sic, ne *vitalis* quidem est, nec proinde sensatio
dici potest; posterior est proprie objecti vicaria, seu est medium quo objec-
tum fiat actu sensibile, non vero quo fiat objectum actu formaliter sentitum,
quod fit per speciem expressam, active; *e.*

§ 2. DE SENSU EXTERNO.

Propositio 34.

Objectum proprium sensuum externorum sunt corpora externa per suas
qualitates proprias manifestata.

Prob. Objectum cognitionis per sensus externos non est *species impressa*,
nec *species expressa*, nec ipsa materialis impressio subjectiva organi, sed
aliquid externum subjecto sentienti; *a.* illud externum nequit esse nisi cor-
pora ipsa prout per suas qualitates proprias manifestantur; *e.*

Ad maj. 1 part. (non species). *Species*, sive impressa, sive expressa, non est
id in quo, sed *id quo* objectum cognoscitur; *e.*

Ad maj. 2 part. (non impressio). Eisdem ob rationes nequit haec impressio
seu modificatio materialis organi, atque ipsa *species impressa*, dici objectum
proprium sensationis, seu *id in quo* cognoscatur objectum.

Ad maj. 3 part. (sed aliquid externum). a) Excluis omnibus cogitabilibus
internis, — b) teste experientia, per sensus externos ferimur nos homines
(itemque bruta), in res extra nos percipiendas; et ita solum distinguimus
sensus externos ab internis quibus feramur in res internas cognoscendas.

Ad min. 1 part. (corpora ipsa). Sensus cognoscere nequit active per speciem
expressam, nisi prius fuerit passive immutatus ab objecto externo agente;
a. objectum externum a) nequit esse agens nisi quale in concreto existit;
b) in concreto non existit accidens separatum, sed substantia ut accidentium
subjectum; *e.*

Ad min. 2 part. (per suas qualitates). Substantia seu essentia, ut sic, a) nun-
quam se alteri cognoscenti manifestat, teste experientia; sed solum ut quali-
tatibus affectam; b) neque etiam posset se manifestare nisi agendo in sensum,
i. e. per actionem suam, i. e. per aliquod accidens; *a.* hoc accidens, i. e.
hunc actum, nequit habere nisi secundum suam potentiam activam, i. e. qua-
litem suam; *e.*

Ad min. 3 part. (per proprias). Qualitates duplici sensu possunt propriae
dici: propriae corpori subjecto, i. e. ejus proprietates; vel propriae sensibus
percipientibus, i. e. proportionatae aliae aliis sensibus (cfr. logic.); *a.* utroque
sensu corpora se manifestant per qualitates suas proprias; *e.*

ad min. a) Qualitates, quibus substantia in sensum operatur, aut sunt acci-
dentia propria (proprietates inseparabiles), aut accidentia mobilia; *a. si prius*,
sunt qualitates propriae huic substantiae (naturae); *si posterius*, haec acciden-
tia substantiae inhaerere non poterant nisi vi ejus potentiarum passivarum,
i. e. ejus qualitatum propriarum; *e.* quidquid agit substantia se manifestans,
per qualitates sibi proprias se manifestat, sive immediate sive mediate.

b) Teste experientia, non per qualitates omnes suas indifferenter sensus
varios afficit substantia, sed qualitatibus aliis alios afficit sensus; *e.* etiam alio
respectu *per qualitates singulis sensibus proprias* eos afficiens manifestat se.

Propositio 35.

Recte distinguuntur quinque sensus externi.

Stat. quaest. 1) Ex modo dictis in ultimo praecedente argumento, sunt
qualitates sensibiles propriae variis sensibus, non indifferenter omnes sensus
afficientes; sunt et alia accidentia quae non per seipsa sensus afficiunt, sed
per superius dicta sensibilia propria; et haec non singulos aliquos sensus
tantum afficiunt, sed ex plurium sensuum sensationum comparatione agno-
scuntur, v. c. distantia, magnitudo...